

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.



PROPEMPTICON INAUGURALE

DE  
RATIONE PHOENOMENI

Qui fiat, quod duo Fratres uterini locorum intercap-

dine diffiti simul variolis affici queant?

CONSCRIPTUM OCCASIONE

DISSERTATIONIS INAUGURALIS

PRÆNOBILIS ET CLARISSIMI MEDICI.

NÆ CANDIDATI,

DN. JOHANNIS Brandten/, LUBEC.

DE

VARIOLIS.

QVO SIMUL

AD EANDEM

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET  
PRIVILEGIIS CONSEQVENDIS,

IN AUDITORIO MAJORI

DIE VI. SEPTEMBR. BONŌ CUM DEO HABENDAM,

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,

UTRIUSQ; REIPUBLICÆ PROCERES, COETE-

ROSQ; OMNIUM ORDINUM CIVES ACADEMICOS,

ET LITERARUM FAUTORES,

SUO ET AMPLISSIMÆ FACULTATIS SUÆ NOMINE,

câ, quâ par est, humanitate  
invitat.

JOHANN. ERNESTUS  
SCHAPERUS,

MED. D. ET P. P. hodiè PRO-DECANUS.

Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

1707, 6.



Magna Vis, magnaque necessitas, quam possidere paternum & maternum sanguinem dicit Cicero, pariter meo iudicio ad morbos quandoque extensa videtur. Siquidem aliquando inter conjugatos tantus reperitur consensus, ut uterque uno eodemque tempore uno eodemque morbo tentetur. Hinc Mariti alias non bibonis ad crapulam succedaneum in peregrinis locis vomitum uxor ejus rei prorsus inscia hocce pathognomico judicat, quod ipsa met eodem tempore præter rationem stomacho sano sapiusque prorsus vacuo & nausea & vomitu afficiatur, in quo vel ideò confirmata est, cum subsequens examen & temporis collatio huncce consensum semper comprobaverit. vid. *Ephem. germ. Nat. Cur. dec. 2. Ann. 7. p. 403.* alius maritus quoties conjugum menstrua consueto tempore patitur, toties fluxu corripitur hæmorrhoidali, tanto consensu, ut unâ quasi horâ & die utriusque fluxus sanguinis incipiat, vid. *Ephem. Germaniæ Nat. Cur. dec. 2. Ann. 4. p. 200. app.* alius Puerperæ uxoris loco dolens decumbit. vid. *Bartholin. bist. Anat. rar. Cent. 5. hist. 79.* alius cum uxore primis mensibus gravida nauseabunda vomente æque nauseabundus vomit. vid. *Bartholinus cit. loc.* Nec inter maritatos tantum mirabilis talis necessitas intercedit, sed ad alios quoque consanguineos porro extenditur, & Filius à Fabricante Patre genitus post partum una cum Patre eodem die, eademque horâ & eodem momento ejusdem febris paroxysmum patitur. vid. *Ephem. Germ. Nat. Cur. dec. 2. ann. 5. p. 456.* Inter fratres uterinos eadem sæpè solet esse conspiratio, eademque necessitas, siquidem aliquando in dissitis locis uno eodemque morbo decumbunt. Instar omnium hodiè experimenti loco sint Variolæ, de quibus aliquid præfari jubet Dissertatio præsens Inauguralis.

Evenit quandoque, ut duo fratres uterini locorum intercedentium

dine diffiti simul variolis afficiantur, licet facti hujus uterq;  
frater in scius sit. Curiosi hujus phænomeni apud observatores  
unanimes reperit consensus. Bartholinus suæ familiæ id e-  
venisse testatur, siquidē olim ipsius dilectissima mater Vari-  
olis Hafniæ cum laboraret, eodem tempore etiam Frater  
Genevæ in Galliâ iisdem tentabatur. Vid. *Act. Hafniens.*  
*Vol. 2 p. 105.* & alia reticet exempla, cum res hæc inter alios  
nota sit. Etmüllerus inquit, novi tres Nobiles quorum  
duo adulti Gieslæ Studiorum gratiâ morabantur, tertius  
cum sororculis domi degebat, sed cum hic tertius cum so-  
roribus laboraret Variolis, isti duo Gieslæ simul iisdem cor-  
repti moriebantur, ut tunc temporis nil de Variolis aliâs  
innotuisset. Idem refert de Studio natione Lipsiensi, qui  
Wittebergæ dum Variolis afficitur, eodem tempore soror  
ipius gemella iisdem Lipsiæ ex improvîso correpta est.  
Porro evenisse dicit, quod frater in Italiâ eodem tempore  
laboraverit variolis, quô alter eodem laboravit in Germa-  
nia. Vid. Etmüller *Prax. Part. 1. p. 370.* Excellentissimo  
Pechlino exempla Serenissimarum Personarum fraterno so-  
rorioque vinculo junctarum nota sunt, quæ longissimo  
intervallo remotæ unæ ab aliis (hæc enim in Galliis, illæ in  
septentrione degebant) eodem tempore ex variolis labora-  
runt, & in pluribus iisq; nobilibus viris idem evenisse novit.  
vid. *Observat. Physico-Medic. Lib. 2. Obs. 16. p. 241.* Idem fieri  
quoque afferit curiosus & insignis Polyhistor Wagenlei-  
lius *Exercitat. variæ argumenti 2da p. 64.* & qui plures alii  
sunt Excellentissimi Viri, qui idem testantes inter duorum  
fratrum sororumque sanguinem in morbis simultaneis con-  
spirationem insignem satis superque firmant. Quorum  
omnium observationes huic non addam, cum casus isti negari  
nequeant, siquidem in aprico sunt, sed cur & ex quâ causa id  
eveniat? hoc opus, hic labor est.

Id adductum Phænomenon igitur an sine sympathiæ ac-  
culatione mechanicè resolvi queat, tentamen in eo, sed quo-  
cuncq;

cunq; me verto, & Scriptores circumspicio, ubiq; infignes  
superfunt difficultates, & in fasciculum si colligam tot Cele-  
bratissimorum Virorum dissensus, ratiocinia non satis distin-  
cta me relinqvunt dubium. In sympathiâ enim quærerere rati-  
onem obscurû est. Ab atomis eorumq; in distans operatione  
si ratio determinari debeat, quanquã præ atomis potius efflu-  
via indefinitè divisibilia facilius cum rei veritate eligere pos-  
sem, est difficillimû, quia distantia determinata est, & ultra eâ  
extendi neqvit, hinc ex parte, ex omni a. non satisfaciet, im-  
primis ubi insignis locorum intercapedo & occurrentes im-  
petuosi venti effluvia emanantia hinc & inde disjicient, & à de-  
stinatâ distantâ detinebunt tamdiu, donec dissipata non am-  
plius vim retineant. De concatenatione effluviõrum corpo-  
reorum, vel animâ extra proprium corpus operante *Vid.*  
*Theatr. sympathet.* pag. 69. nil dicam, cum non videam, qui-  
bus occurrentes innumeras difficultates removere valeam.  
Interim inter tot insufficientia data vires periclitabor, & si  
non abolvero propositum, inchoabo tamen, aliis, qvibus  
major ingenii felicitas omiaq; majora superfunt, hujus pro-  
blematis complementum relinqvens.

In omnibus hominibus, ex vitiosa vel potissimum in utero  
vel ab uberibus nutritione latere variolarû causam materia-  
lem, eamq; magnas sæpe agere radices, ut certissimum quid  
suppono. Cujus positionis constructionem hic prolixè non  
affero, cum in dissertatione, cujus gratiâ hæc præmitto, ar-  
gumenta in ejus rei confirmationem abundè inveniantur.  
Id tantû addo, qvod, cum adeò constans ac pertinax esse pos-  
sit in corpore latens materialis variolarum causa, facillè ea in  
fratrum uterinorû corporibus texturæ & consistentiæ æqua-  
lis reperiri qveat, ut in utriusq; corpore æque diu lateat & in  
unum eundemq; motum ab eadem occasionali causa conspi-  
ret. Id qvod eò minus mirabimur, aut iis denegabimus, qvos  
arctius natura in suo ortu junxit, & educatio similis ac eadè  
ad annos plures junctos servavit. Si in fœderibus peragendis

Vete-

Veteres mutuum sanguinem cum effectu infecutura certo  
constantis Amicitia potabant, vid. Barthol. *de transplant.*  
*morb. epist. p. 7.* Si mutuo sanguine sui memoriam invicem  
commendare norunt Amici, etiam inter absentes certis no-  
tis perennantem, quales citatus Bartholinus *ist. Loc. novit.*  
Si arte effici possit, ut duo Amici suum peregrinum alias san-  
guinem in unum coercere queant motum, quo ad centum  
milliaria & plura sine verbis, sine scriptis, sine signis, sine  
nuntio mentis suae concepta sibi invicem nota facere sci-  
unt, de quo erudita Exercitatio secunda *de Arcano Stegano-*  
*graphico* illustris Wagenfeilii *p. 77. seq.* legi meretur; nulla  
omnino relinquitur ratio, quae de conspiratione fluidorum in  
morbofo statu, inter fratres consanguineosque intercedere du-  
bitari possit, qui vel simultanea in utero nutritione usi sunt,  
& gemelli prodierunt in lucem, vel ex uno eodemque ma-  
tris ejusdem diatae errore nutriti post biennium vel plures  
annos successively utero exclusi sunt. Contagium ad pere-  
grinos quotidiè se extendit, & saevit cum vehementia, non ta-  
men omnes contagio corripuntur aequaliter, nisi inter con-  
tagium & humores, cum quibus confligat, similitudo interce-  
dat & convenientia. Hinc vehementius saevit in consanguineos,  
& integras familias tragico exemplo dum saepe extinguit,  
necessitatem insignem & conspirationem necessariam  
intercessisse aperto probat. Memorabilia sunt, quae re-  
centet Excellentissimus Pechlinus; invadabant, inquit,  
Generosum Juvenem morbilli Epidemii tum & grassan-  
tes, ex hisce tantum non convalescerat, cum ecce unum il-  
lum non notatus in universa urbe morbus Purpura illico  
occupat, malignus ille & discriminis plenus, ex quo ta-  
men aegre & non nisi post diligentem praestitam operam  
evasit. Hic tamen res mira, contagii auctor totam Do-  
mum ferale miasmate infecit, quod in illustrem Parentem  
qui aegrotanti semel adfuerat, aliosque, qui manum ope-  
rasque Juveni commodaverant, translaturum ad unum  
omnes

omnes jugulavit; & observavit gravidã occasione pueri majoris cum variolis colluctantis iisdem infectam, quæ gemellos utrosque stigmatis referrissimos enixa est. *vid. obs. Med. Phys. Lib. 2. p. 234.* quod & Bartholinus *cent. 2. Epist. p. 691.* testatur, imò gravida sana enitur puerum variolis correptum, cum antea filio ex variolis ægrotante sedulo affedisset, referente hoc Morison. *de morbis mulierum. p. 66.*

Potissimam igitur efficientem causam in occasionali s. procatareticã quærendam esse censeo, quæ latentem in tubulo materialem causam internam moveat. Hanc si determinare paucis debeo, Ætherem dico: Hic enim omnium fluidorum unicus motor, & fermentationum ac effervescentiarum diversarum arbiter est. Hic suo motu in figuris & parvitate multoties mutatur, dum vel lunæ pressione, vel ventorum impetu, vel indies exhalantibus è terræ porositate partibus accedentibus variatur. Siquidem aer instar æolipilæ modo resorbentis, modo efflantis halitum, vel spongiæ modo dilatatæ suscipientis, modo contractæ & dimittentis est, sed eò ipso simul diversissimos edit effectus æther, eosque tamen omnes determinatos agit. Sic quoties mars luctam cum oleo vitrioli init, nullis parcit ictibus, nec unquam sese à conflictu removeri patitur, è contrario in hæmatitide mars quasi in gremio delitescens omnes olei vitrioli ictus reddit frustraneos, sic reguli antimonii connubium fugit mercurius vivus, sed in amplexu in antimonio crudo facile descendit. Sic Aqua fortis argentum in minima corrodit, intactum verò relinquit aurum. Porrò hinc Poma per totam hyemem sapida, demum veris tempore, quò reviviscunt arbores, amittunt saporem. Cerevisia hordeo florente turbida fit, & sæpè acescit. Pisis in agris florentibus cocta alia nullum alium præter graminis saporem præ se ferunt. Vina in cellis profundissimis recondita vinetis in flore conspicuis subeunt fermentationem, turbidaque evadunt, usque dum ad pristinam redeant pelluciditatem, quam primùm



primum flores esse desierunt. Oenopolis id constat, quod Vinum in vase conclusum non nisi plenilunii tempore usque ad osculum vasis eleuetur. In arborum transplantatione id cavent quam diligentissime hortulani, ut quo felicius germinent, eodem vel ad meridiem vel orientem situ terræ committantur. Saxa polita pavimentis instrata non nisi pluviae cum instant vel in sicco hypocausso madent. Asseres ex arboribus vento disiectis confecti cuicumque operi destinentur, tum demum crepitum & sibilum edunt, cum idem quo dejectæ arbores, ventus flat & auditur. Hæc & plura alia in macrocosmo effecta adjuncti ab æthere indices sunt.

In nostro corpore ut vitam sic & morbos debemus ætheri, hic enim Principium nostrum omni momento novum vitale & quandoque Tyrannus est, sed determinata ipsi est efficacia, eamque non nisi in similia & adaptata cum effectu exserit. In Epidemicâ hinc lue totas civitates imò regiones invadens, in cholericos omnium primò edit effectus, eosque quasi sanguine junctos exercet, Melancholicos a. eo usque parcit, quousque ipsorum sanguinis motus & nexus firmior ejus impulsum illudit. Cui quæso non obvium est? quod melancholici certas temporum periodos percurrant, & imprimis ubi aëris diathesis astringina est; siquidè tunc gravitus affligi mentis torturâ præter experientiam legimus in *Ephem. germ. dec. 2. ann. 1. pag. 40* Schenckius refert de Lingua Paralytica sub novilunio tarda sub plenilunio a. diserta *vid. Obs. de Paraly. p. 97.* Æther est, qui à Juvenculis fœminis novilunii tributum poscit, & ex annosioribus plenilunio reddit idem. Æther est, qui in peste juvenibus interdum & prægnantibus Lethalis, cum è contra Viri & senes immunes à peste vivant. Huc facit notabile exemplum ancillæ Amstelodamensis, quæ peste tribus locis affecta, & in hortum deportata, juveni amatori cui desponsata fuit, singulis noctibus condormivit, & illæso juvene convaluit, ut hinc sequentes in Joh. Van Beverwyck *Schal der Ongezonibers Lib. 2. cap. 17.* legantur.

*Inca.*

*Inebat intactam non unâ peste puellam  
 Sponsus, & agrotâ virgine prurit amans,  
 Figit pallidulis rorantia basia labris,  
 Et mediâ partes morte precantis obit.  
 Non juveni tuit ancilla facere ista molestum,  
 Nec fuit ancilla res gravis ista pati.  
 Ite procul medici, nova sunt medicamina pesti,  
 Sanatur sponso succuba sponsa suo?*

Ab ætheris determinata efficacîâ hinc Venenorum & aliorum vis relativa redditur, & sic amygdalæ amaræ vulpibus tantum & gallinis lethales, nobis inter bellaria sunt, oleum olivarum scorpionibus venenum, nobis in deliciis, oleum tabaci viperis Lethale, non angvillis est, & ricini oleum simio- lum nongallum torquet. *Vid* Franciscus Rhedi *de vipar.* p. m. 36. & seq. ut de lue non nisi brutis sæpius epidemicâ, qvalem quid de Canibus, de pennatis, de piscibus legimus in *Ephem. Germ. A. N. C. dec. 3. Ann. 5. & 6. p. 384. & seq.* nil dicam.

Ex dictis igitur cum abunde constet, ætheri diversos eosque in sublunaria determinatos esse effectus, eumque occasionalem efficientem variolarum causam esse abundè demonstratum sit, Facilis ipsi est efficacîâ, ut inter duos fratres uterinos simul variolas excitet, si v. g. cum invicem converfentur, facilè enim tunc latens in alterius fratris corpore variolarum fomes per effluvia ab æthere determinaro activa excitatur, & totam MSeam ob parilem constitutionem, & temperamentorum similitudinem inquinat. Sed si fiat, ut loci intercapedo tanta sit, & effluviolum operatio, ob insignem distantiam admitti nec velit nec possit, solus determinatus æther ad excitandum in utroque fratrum Corpore variolarum fomitem sufficit; Hic enim ipse ut effluvia antea è corpore variolosi fratris emanantia & alterius fratris corpori communicata servabat efficaciam, ita pariter idem circa fomitem solus operabitur, dum adju-  
 mentum

mentum reperit in temperamentorum similitudine & Massæ  
sanguineæ parili constitutione. Nec putandū est, ætheris ad  
id determinati sphaeram non æque insignē esse, nec ad ma-  
gnam distantiam extendi, siquidem superius in hujus curiosi  
Phœnomeni illustrationem allata experimenta, omnem quæ  
concipere possumus ex parte superant distantiam, & longè  
latèque indiffita locorum regionumque intercapedine  
observantur, nam ab æthere Universalibus causis scilicet  
vel lunæ pressione, vel ventorum impetu, (qui  
quousque nondum ab occurrentibus vel obstantibus  
impedimentis interturbati suam indolem ad longissi-  
mam sæpè servant distantiam) aliisque similibus, sufficienti-  
bus causis modificato sunt. Hinc curiosum est & factum  
ego censeo, quod mercurii & meteororum Tubingæ & Mu-  
tinæ eodem tempore convenientia observata sit, siquidem ut  
Ramazinus binos dies notabiles Anni 1664. scilicet 15. May. & 11  
Octobr. illo immentam aquarum vim dejectam fuisse cum  
mercurii statione infimâ, citat, ita & Tubingæ pariter utra-  
que nocte pluit cum mercurio humili. *Vid. Ephem. Meteorolo-  
gie. Tubingens. pag. 32.* Hinc diuturnum Austrum variolis  
sæpius ortum dedisse, & ex eadem causa per omnem Fran-  
coniam & vicina loca A. 1660. atrociter eas sæviisse testatur  
Fehr de Scorecon, pag. 79. eò quoque respiciunt *Aphorismor.  
Hippocratis Lib. 3 aph. 3, & 16.* Et si computatio constitutio-  
nis aëris v. g. Anni 1697, v. g. Augustæ vindelicorum Men-  
sibus Februarii, Martii & Aprilis observatæ cum illa insti-  
tuatur, quæ per idem trimestre v. g. Berolini notata est, in-  
dolem in multis eandem & in illis sat diffitis locis variolas si-  
mul sævientes deprehendemus. *Vid. Ephem. germ. dec. 3. Ann.  
& 6.* Ut de æquali aëris constitutione aliorum annorum ho-  
diè nil addam, nec plura afferam argumenta, quibus ulterius  
demonstrem fieri posse, ut duo fratres uterini locorum  
intercapedine diffiti simul volis ari afficiantur, siquidem de  
brevitate moneor, & de scopo, cujus gratiâ hæc Præfatus.

Ad Vitam Clarissimi nostri Candidati igitur, ejusq; studia laudabiliter gesta juxta receptum Academiae nostrae morem progredior. Natus is est Anno 1677. in Imperiali Lubeca, Patre jam beato Dn. *Christophoro Brandt* / Viro integerrimo & inter Lubecenses Cive, dum viveret, acceptissimo, Florentissimo & adhuc superstite dilectissimâ Matre *Christina Kienen*! Foeminâ quibusvis sexus sui virtutibus ornatissimâ. His suis verè Piis Parentibus ut vitam debet noster Candidatus, ejusq; grata recordatur mente, ita iisdem grates quas mens quidē summas concipere potest perfolvit, quod nullis licet fati dapsilibus in eum educando sumptibus nulliq; operæ, labori & curæ pepercerint, sed à primâ mox pueritiâ eò ipsum adegerint, ut tum demum maturâ aetate & Deo & proximo & sibi ipsi usui esse posset. Siquidem vix quatuor annorum post intercedebat intercapedo, ubi Præceptoribus primis tenellum animum literarum elementis imbuentibus ipsum concedebant. Hisce Principiis instructus Scholæ Lubecæ florentis Præceptoribus committebatur, & per omnes ejus classes, quas occuparet, industria indefessâ procedens, in quibus à Præceptoribus plurimis jam defunctis fidelissimâ quoq; informatione fruitus est, & præterea privatis Præceptorum institutionibus insignes progressus faciens, efficiebat, ut divinâ gratiâ apprimè assistente sensim & sensim ad altiora animum applicare eumque ad Academica studia cum fructu appellere posset. Scholæ itaq; publicâ oratione de illo Plinii effato: *Qui invidet minor, est, valedicebat, sed interim adhuc per tempus Lubecæ degens, Rectoris, hujus Scholæ Viri Excellentissimi Dn. Magistri Enochii Svanienii* privatissimâ informatione utebatur, tanto successu, ut operam suam in erudiendo ipsi adhibitam planè supra suas laudes & grates positam adhuc agnoscat. Cum autem studio Medico se devovisset, eo simul tempore omnem advertibat occasionem, quâ administrum

num ex universâ Medicinâ aliquem in Academiam secum  
ferret prægustum, & ecce eam tam felicem pro scopo suo  
nanciscatur, siquidem Celeberrimus dum viveret & ad  
amissum doctus Lubecensium Medicus *Tiedemannus* beatæ  
memoriæ, affinis Dni Candidati desideratissimus ejus voto  
& desiderio annuens in Physiologicis, Botanicis, Anatomis-  
cis, Pharmaceuticis, omnibusque medicinæ partibus eum  
ita erudiebat, ut & huic suo primo Doctori profundissimas  
adhuc persolvat post fata grates & memoria Tiedemanniana  
ipsi semper recens futura sit. Totâ sic fermè Medicinâ lau-  
dabiliter degustatâ sub initio Anni 1698. Lipsiensem adiit A-  
cademiam, in quâ studio indefesso & ardore constanti inte-  
grum cursum Medicum viam monstrante Viro Nobilissi-  
mo, Excellentissimo & Experientissimo *Domino Doct.*  
*Augusto Quirino Rivino* Medicinæ Professore celeberrimo,  
& Botanico incomparabili bis absolvit, & in aliis tum  
Physicis tum Medicis aliorum hujus Academiæ Professorum  
& Doctorum Excellentissimorum *Orisobii, Langii,*  
*Schambergeri, Pnckeri, Schacberi* collegiis sedulus fuit auditor.  
Locupletatus sic eruditionis variæ divitiis Lipsiades  
musas relinquens, nostras Varniacas ante annum salutavit,  
& meæ se tradidit privatissimæ informationi, hac intentione  
laudabili, ut tandem studiorum suorum Academicorum  
laudabiliter gestorum eventum exoptatissimum assequeretur.  
Ab ovo igitur, ut ajunt, denuò & quidem 4ta vice Me-  
dicinam inchoavit, & per *Physiologica, Anatomica, Pathologica,*  
*Pharmaceutica, Chymica,* porro per *Medicinam Practicam*  
& *Chirurgiam* examinibus privatissimis quotidiè per tres  
horas & summè matutinam & pomeridianam & vespertinam  
institutis, adeò exercitatum se reddidit, ut singulari  
planè diligentia uno in anno id præstaret, quod alioquin per  
biennium vix absolvi potest, suumque judicium in Praxi ne-  
cessarium mihi abundè probavit. In hoc autem non sub-  
stitit,


13  
fuit, & accurata semper præcedentia peruestigatione,  
quicquid per hujus anini decursum in *Praxi Clinica* & rarum  
& difficile occurrebat, sedulo notavit, & solide resoluit;  
*Collegio meo Physico experimentalis & Curioso* sedulus porro  
interesse pariter non defecit, sicque in omnibus talem se  
exhibuit, ut ego ceu ipfius Pro-Decanus splendidissimæ  
suæ Patriæ de Felici novo Medico gratulari nullus dubitem.  
Cum itaque laudatus Dn. noster Candidatus satis adverte-  
ret jam exoptatissimis Præmiorum pomis studia Academi-  
ca finire posse. Constituit antequam exteras terras visurus  
abiret, Præmiorum Poma à nostrâ Facultate Medica petere.  
Eapropter rogavit Examina, eâ quâ par erat, modestiâ,  
& ipfius petitis omnino laudabilibus atque honestis prom-  
ptè Facultas nostra annuebat. Admisimus igitur illum, in  
profectus ejus & eruditionem per quam accuratè inquisivi-  
mus, eumque animi alacritate, eruditione & judicio talem  
deprehendimus, ut omni jure pro impetrandis summis ho-  
noribus Licentiam publicè disputandi prompto eoque una-  
nimi suffragio ipsi daremus. Quapropter cum dies 6.  
Septembris ad huncce Actum nobis solennis sit, in quo Cla-  
rissimus Dn. Candidatus Dissertationem suam Inaugu-  
ralem eruditè conscriptam de Variolis, Eruditorum Exa-  
mini publico submittet, **MAGNIFICUM DOMINUM**  
**RECTOREM**, utriusque Reipublicæ Proceres, cæteros-  
que omnium ordinum Cives Academicos & Literarum,  
Fautores, ut suâ præsentia disputationem hanc illu-  
striorem reddere velint, officiosè invito,

Publ. Rostochii sub Sigillo Facultat.  
Med. d. 28. Aug. Anno M, DCCI,

ULB Halle  
005 703 786

3









PROPEMPTICON INAUGURALE

DE  
RATIONE PHOENOMENI

Qui fiat, quod duo Fratres uterini locorum intercape-

dine diffiti simul variolis affici queant?

CONSCRIPTUM OCCASIONE

DISSERTATIONIS INAUGURALIS

PRÆNOBILIS ET CLARISSIMI MEDICI

NÆ CANDIDATI,

DN. JOHANNIS Brandten/, LUBEC.

DE  
VARIOLIS.

QVO SIMUL

AD EANDEM

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET  
PRIVILEGIIS CONSEQUENDIS,

IN AUDITORIO MAJORI

DIE VI. SEPTEMBR. BONŌ CUM DEO HABENDAM,

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,

UTRIUSQ; REIPUBLICÆ PROCERES, COETE-

ROSQ; OMNIUM ORDINUM CIVES ACADEMICOS,

ET LITERARUM FAUTORES,

SUO ET AMPLISSIMÆ FACULTATIS SUÆ NOMINE,

câ, quâ par est, humanitate

invitat.

JOHANN. ERNESTUS  
SCHAPERUS,

MED. D. ET P. P. hodiè PRO-DECANUS.

Roßtochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

1701, 6.